



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Antidota Evangelica contra horum temporum hæreses

Stapleton, Thomas

Antverpiae, 1595

23. Compelle eos intrare.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39546

23. *Compelle eos intrare.*

TA METSI ad literam de ipsorum prædicatorum verbi Dei ingenti studio, feruore, & adhortatione hæc verba intelligi debeant; nõ est tamen improbanda S. Augustini expositio (vt eam hoc loco Calvinus ipse nõ improbare se dicit) quã adhibet contra Donatistas epist. 48. vt prober *piorum principum edictis ad veri Dei cultum & fidei vnitatem licitè cogi præfractos & rebelles hæreticos.* Hæreticorum tamen nuncupationem non exprimit hoc loco Calvinus, quia ipse met talis erat. Solum præfractos & rebelles nominat. Et rationem subiungit ex August. desumptam, *quia etsi voluntaria est fides* (melius dixisset, libera) *videmus tamen ijs medijs vtiliter domari eorum pervicaciam, qui non nisi coacti parent.* Plura hac de re in Promptuario nostro Catholico diximus.

Hæretici
ad officium
cogendi.

Domin. 5
post
Epiph.
tex. 3.

33. *Qui non renuntiat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus.*

OPERÆ precium est, insignem huius loci corruptelam ac deprauationem Calvinianam obseruare, vt verus ac germanus literæ sensus purius retineatur. Clarum & perspicuum est, Christi verba sic vt sonant intelligi debere, & veram eorum quæ possidemus abdicacionem faciendam, omnibus diuēditis & in eleēmosynam datis, vel in communē vsum concessis, vt Christi discipuli simus, id est, Euangelicæ perfectionis statum arripiamus. Sic Apostoli ipsi fecerunt relinquētes omnia. Sic primi Christiani, Iudæi maximè cōuersi, ex singulari fidei feruore etiã ipsa consilia Euangelica veluti præcepta amplectentes, omnia sua vendebant, & ad Apostolorū

Euangelica
perfectionis
proprietatis
abdicatio.

Act. 4.

M m pe.